



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Antonii Sanderi Presbyteri, S. Th. Licentiati Hagiologivm
Flandriae Sive De Sanctis eius Prouinciae Liber vnus**

Sanderus, Antoine

Antverpiae, 1625

Arnvlphvs Episcopus Suessionensis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10172

A L A N V S I N S V L E N S I S.

14. Octo.

Natus est Insulis Flandriæ emporio, & in Clara-
Valle sub S. Bernardo Abbatे Monachum induit.
Postea primus Ripatorij Abbas fuit, ac demum Antissio-
dorensis Episcopus. Religioſæ quietis amans, post annos
13. Episcopatuſe abdicauit, & reliquum vitæ in Clara-
Valle piissimè tranſegit, vbi & obiit anno 1181. pridie
Idus Octobris.

A I C H A R I V S

Episcopus Tornacensis.

27. No.

Sancte & laudabiliter præfuit Ecclesiæ Tornacensi &
Nouiomensi, ante S. Eligium, Lectiones festi quod
Nouiomni duplex habet, sunt de Homilia S. Maximi. Ad
sancti & beati Patris nostri Aicharij laudes addidisse ali-
quid, decerpſisse eſt. Aicharius magnâ apud Dagobertum
regem auctoritate valuit. Ipſo namque apud Regem
agente S. Audomarus ad instituendum & gubernandum
Terrouanensis opidi populum, Episcopi ſedem & dignita-
tem fuſcepit: vt Folcardus Bertinensis in S. Audomari vi-
ta apud Surium loquitur. Eodem agente & licentiam dan-
te S. Amandus doctrinam Euangelicam Gandaui prædi-
cauit. Obiit autem S. Aicharius anno 646. aut 647. Plura
de Apostolico Præſule vide apud Ioannem Cognatum in
historia Tornacensi.

A R N V L P H V S

Episcopus Sueffionensis.

15. Aug.

Aldenburgum ut in archiuis Aldenardensis latinis
vetuſtioribus ſcribitur, ſiue Audenburgum Flandriæ
opidum

opidum tertio milliari ab Ostenda, antiquitatem ipso nomine præfert, olim primariæ notæ opidum in Flandria exstitisse, & à Balduino Caluo Comite Burgum Brugense anno 865. lapidibus cinctum fuisse ex Aldenburgi rude-ribus; Hunnicæ sub Attila sœuitiæ testibus pro comperto habetur. Abbatiam hic Monachorum Benedictinorum anno 1084. S. Arnulphus Episcopus Sueßionensis in Gal-lia instituit, Roberto Frisio Comite & Radbodo Tornacen-si Episcopo approbantibus. Obiit ibid. anno 1087. multis clarus miraculis, quibus motus Lambertus ibidem Episcopus cum licentia Cononis Legati apostolici & auctoritate Concilij Bellouacensis, quod miracula examinauerat, corpus sacrum anno 1121. è terra leuauit iuxta morem Ecclesiæ Gallicanæ. Vitam eius fusè scripsit I. siardus ter-tius in Episcopatu successor à Surio editus. Matrem ha-buit Arnulphus è nobili prosapia Comitum Louaniensiū, patrem verò Fulbertum Flandrum habitantem iuxta Scaldin in villa Tidinghem. Mater grauida per visionem didicit se puerum gestare, qui verbis & factis Christum ferret, ideoque Christophorus erat vocandus, cæterum susceptor Arnulphus Aldenardenis, voluit à se puerum Arnulphum dici. Mater autem memor diuinæ sponsionis puerulum à patrino nuncupatum Arnulphum vtroque nomine appellauit, Arnulphum videlicet Christopho-rum. Arnoldus Wion lib. 2. lig. vitæ cap. 53. eum patriâ fuisse Aldenardensem, & ab eo superesse nobilem fami-liam Pamelensium asserit. Plura apud Molanum in natali-bus vide. Corpus etiamnum Brugis adseruari à Iudoci Damhouderi Regij Consiliarij filia per has turbas sollicitè custoditum, nuper Aubertus Miratus nobis indicauit.

ACHAS

